



42

ASSERTIONES DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE

- EVCHARISTIA** unum ex septem Ecclesiæ sacramentis, eorum omnium potissimum, agno in lege præcepto præcipue figuratum, conuenienti ratione à Christo Domino in ultima cœna institutum est, ac homini sue re, sive voto aliquo suscepsum, ad salutem necessarium est.
- HIVIS** materia in pane & vino consistit, nec ob id duplex sed unum censendum est sacramentum, cum una sit utriusq; sacramentalis significatio: in pane enim & vino simul spiritualis refectionis, quæ per ipsum sacramentum confertur, perfectio significatur: & per utriusq; consecrationem, mortis & passionis Christi fit commemorationis.
- PANIS** non quicunq; sed qui ex tritico, & aqua elementari cōficitur, Materia est necessaria: quamvis autem ex præcepto Ecclesiæ, azimus debeat esse, in quo Christum consecrare credimus: non tamen est de necessitate, cum verè in fermentato consecrari possit, & olim consecrari Ecclesia.
- NEC EST** minus necessarium vīnum vītis, sive albus sive rubrum sit: cui aqua elementaris ex præcepto Ecclesiæ miscenda est. debet autem in parua quantitate apponi: ita ut in vīnum possit facile ante consecrationem conuerti.
- FORMA** huius sacramenti verbum Christi est, quod sacerdos in persona Christi proferens, panem accipiens, dicit: *Hoc est enim corpus meum, Calicem vero, Hic est calix sanguinis mei, noui, & aeterni, &c.* Hac autem verbaliter debeant omnia secundum ritum Ecclesiæ exprimi, non tamen omnia de necessitate sacramenti sunt, cum illis solis: *Hic est calix sanguinis mei; vel, Hic est sanguis meus, fieri possit consecratio.*
- HORVM** verborum virtute panis in corpus, vīnum in Christi sanguinem ita conuertuntur, ut nec forma nec materia panis aut vīni post consecrationem remaneant, sed solum accidentia, tota substantia, non quidem annihilata, sed in Christi corpus & sanguinem ea conuersione mutata, quæ conuenienter transubstantiatio dicitur.
- VNDE** consequitur in hoc Sacramento verè, realiter, ac substantialiter Christum contineri: ideoq; sib; utralibet specie, totum Christum, Deum & hominem, carne, anima, & sanguine inesse, quamvis non eodem modo. Corpus enim sub speciebus est panis ex vi sacramenti, Anima vero, sanguis, & diuinitas, ratione concomitantia: porrò sub speciebus vīni sanguis ex vi sacramenti, Reliquatione concomitantia habentur.
- NEC** existimandum est ob id sine sua quantitate Christum illic esse, quod sub parua quantitate continetur: verè enim totam suam quantitatē seruat, quamvis non adsit per modum quantitatis. non enim ad specierum diuisionem Christus diuiditur, sed integer manet sub qualibet speciei parte, diuisione facta, sicut ante diuisionem.
- IMO** nec illic per modum loci est, nec modo passibili: nec oculo corporeo videri, aut circumstantes videre extra miraculum potest; ad motum tamen specierum localem per accidens mouetur.
- ACCIDENTIA** hæc panis & vīni, quæ species dicuntur, conuersione facta, non in subiecto, sed perse manent: dimensionibus quidem omnino per se, reliquis vero, in ipsis immediate coherentibus. In his porrò mutationes possunt accidere: quia pati valent & agere non secus, atq; si suo inessent subiecto, nec solum actione ac passione accidentaliter, sed & substantiali.
- CVM** autem mutatione fit substancialis, Deus nouam materię partem creando facit, & substantia in eodem instanti quo creaturæ naturali gente forma educitur, nouaq; producitur substantia: hoc etiam modo species haec comedentis substantiam nutritur & augent.
- CVM** primum talis producitur substantia, corpus & sanguis Christi, sub illis speciebus definitur: unicunq; est temporis instans, quo totum hoc fit. ut enim unico instanti definit panis, seu vīni substantia & illic fuit Christus; ita & unico instanti noua substantia fit, & illic definit esse Christus.
- ANTE** talem tamen mutationem permanenter Christus sub speciebus adest: unde sacramentum hoc non in vīni, sicut alia sacramenta, sed in materiae consecratione consistit: quamvis, dum sumitur, similem sacramentorum aliorum fortuitur rationem.
- MERITO** ergo ab Ecclesia in decenti & sacro loco, tum in infirmorum vīnum, tum in continuam fidelium venerationem, deuotionem, & tutelam perpetuò asseruatur. Cumq; communè, & insigne sit Christi beneficium, conuenientissime festum Corporis Christi institutum est, in quo totus simul populus tantum, & tam cōmune recognoscat beneficium, & in ipso beneficio laudet & adoret auctorem.
- SACRAMENTVM** hoc dignè sumentibus gratiam donat, seruorem charitatis accedit, actualē generat deuotionem, pœna temporalis pro peccatis remissis debita partem remittit, venialium consequitur remissionem peccatorum, & mortalium etiam maculas quandoq; delet.
- HIC** autem dignè sumit, qui mortali facta diligentia, nullius sibi peccati mortalis est conscius: nec cum affectu aliquis venialis accedit: hoc tamen secundum non prorsus est necessarium, nisi ad plenum sacramenti effectum consequendum. Siquidem qui cum venialis affectu accederet, si conscientia mortalis non esset, actuali seruore gratiae, non habitu, priuaretur.
- AT** QVI cum conscientia mortalis accederet, licet erronea, peccare mortaliiter, iudiciumq; sibi manducaret, sicut & is, qui mortalis commissi confessionem non præmitteret, quantumvis contritus; urgente tamen necessitate, cum confessori copia non esset, posset cū proposito cōfiterendi accedere, dum, cum primū copia confessoris habuerit, confiteretur.
- INFANTIBVS** non debet hoc sacramentum ministrari: quamvis, si ministraretur, suum in ipsis consequeretur effectum, peccante tamen ministrante: adultis autem, si peccatores publici fuerint, ante publicam poenitentiam, nisi in mortis articulo, non est ministrandum. Amentium vero, qui nullum unquam habuerunt rationis vīnum, eadem est, ac infantium ratio: qui vero habuerunt, si rationis compotes existentes aliquo modo deuotos se erga hoc sacramentū ostenderit, non est ipsi in necessitate denegandum.
- PECCATORI** autem occulto; publicè tamen petenti Eucharistia non est neganda, etiam extra necessitatem, si qui ministrat, proprius est Parochus, si vero non est, nullumq; sequitur circumstantium scandalum, negari potest; debent autem omnes ab omni cibo & potu ictiū ad huīus sacramenti perceptionem accedere, nisi grauis imminens infirmitas aliud postulet.
- EVCHARISTIA**, præterquam à sacerdote in missa, sub specie tantum panis sumenda est, nisi ab ijs, quibus sedes à apostolica concepit. Non enim de iure diuino est, sub una aut sub vīraq; simul specie communicare, sed Ecclesiæ determinationi à Christo Domino hoc est relicturn, unde varijs temporibus varios etiam in hac parte Ecclesia observauit ritus.
- NEC** huic communioni sub una tantum specie illa verba Domini Iohannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, contradicunt: vīcunq; enim huiusmodi verba intelligantur modus tamen sub una vel sub vīraq; specie communicandi, in eis non determinatur.
- NEC** etiam minorem sacramenti fructum fideles percipiunt eo quod sub una tantum communicent specie: cum non minor, quantum est ex parte sacramenti, gratia detur sub una, quam sub vīraq; sumenti. Virtus enim, quæ gratia est causa, tanta in una, quantia in vīraq; est specie: quamvis sacramenti significatio tota non ita in una sola sit specie.
- QVAMVIS** ex se melius sit reuerenter accedere ad communionem quam ex eadem reuerentia abstinere, tamen semel in anno idq; tempore paschatis omnes ab annis discretionis, ex præcepto Ecclesiæ, tenentur communicare. hoc autem non prohibet, quin saluberrimum sit consilium, octonis, aut quindenis diebus ad Eucharistiam sumendam se disponere.
- CHRISTVS** in ultima cœna non solum hoc sacramentum instituit, sed etiam suum corpus & sanguinem, sub eodem sacramento sumpit, & à apostolis tradidit, imo & ipsi Iudam à tali non repulit participatione, ne occultum omnibus manifestaret peccatorem, & ut à tanta eius obstinatione tam larga clementia & tanto beneficio conuerteret.
- CORPVS** tamen & sanguis quæ, tum dedit, passibilia quidem in se erant, quamvis modo impassibili sub speciebus continerentur: quæ vero nunc nobis dantur, & in se impassibilia, & modo impassibili communicantur: quia tunc nondum passus & mortuus, carnem habebat mortalem: à mortuis vero resurgens, amplius non moritur, nec mors illi ultra dominabitur.
- HIVIS** tanti mysterij consecratio ad solum pertinet sacerdotem, qui licet iniquus, degradatus, excōmunicatus, alioue ecclesiastico impedimento sit irreitus, consecrabit quidem, si id attinet, in tali tamen consecratione grauiter peccabit. nec solum vīnus, sed plures possunt vīnam eandemq; materiam, simul verba proferentes, consecrare, vt moris est apud multas Ecclesiæ, in ordinatione sacerdotum, quæ consuetudo reprehendenda non est, sed potius laudanda.
- DISPENSATIO** etiam huius mysterij ex officio solum spectat ad sacerdotem non quemcunq; sed curam animarum habentem, quamvis ex commissione simplici sacerdoti, imo & ordini inferiori concedi possit: olimq; tam sanguinis, quam corporis dispensatio, frequentius tamen sanguinis, Diacono concedebatur.
- TENETVR** autem sacerdos vīraq; speciem consecrare, & sub vīraq; specie post consecrationem Eucharistiam sumere; idq; iure diuino; si tamen una species sola consecretur, tenebit consecratio; nec enim vīnus speciei ex alterius pendet consecratione: graue tamen peccatum contraheret, qui quouis modo id facere auderet.

АССЕССИОНИСАЦИЯ

A. 1505.